

et non cito facili credulitate ad falsa pro labi: de dubiis non diffinias, sed suspensam lene sententiam. *Ibidem.*

13. Si prudens esse cupis, in futura prospectum intende, et quæ possunt contingere, animo tuo cuncta propone: nihil tibi subitum sit, sed lectum ante prospicias: nam qui providens est, non dicit: non pulavi hoc fieri: quia non dubitat, sed expectat: non suspicatur, sed cavet. *Ibidem.*

16. Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispenses: præsentia ordina, futura prævide, præterita recordare, nam qui nihil de præteritis cogitat, vitam perdit: qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit. *Ibidem.*

17. Prudens si terminos suos excedit, callidus et investigator latentium, et scrutator qualiumcunque noxarum ostenditur, maledico fastu plenus: versipellis et simplicitatis inimicus, commentator est culparum, et postremo uno nomine à cunctis malus homo vocabitur, in has ergo maculas prudentia immensurata perducet. *Ibidem.*

18. Præcogitati mali mollis ictus venit, ideo stultis fortuna credentibus omnis videtur nova rerum inopinata facies. Sapiens autem assuescit futuris malis, et quæ alii diu paliendo levia faciunt, hic levia facit diu cogitando. *Sen. 77. epist.*

19. Quidquid à sapiente diligenter praevidetur, quum ad rem agendam perventum fuerit, facillius superatur, atque decernitur. Melius enim est ante tempus occurrere, quam post vulnus datum, remedium querere: nam sibi non est cavendi tempus in medio malorum. *Sen. de mo.*

20. Bonum est in alieno malo fugienda intueri. Ruina præcedentium docet posteros: et cautio est semper in reliquum lapsus anterior: ex vitio enim alterius sapiens emendat suum: et ignavus nimis est, qui post exemplum invenitur incautus. Indemnis autem est castigatio, quam persuaserunt extranei, juxta illud: Felix, quem faciunt aliena pericula cautum. *Senec. de Prov.*

21. Gravius nocet, quodcumque in expertum accidit. Melius est præcavere, quam pavere, utilius est erubescere, quam pavescere. *Ibidem.*

22. Excludenda sunt omnibus modis languor à corpore, imperitia ab animo, luxuria à ventre, à civitate seditio, à domo discordia, à cunctis rebus intemperantia. Duorum temporum maxime habenda est cura: mane et vespere: in altero gerenda prospice: in altero respice quæ gessisti. *Pytha. in præcept.*

23. Prudentis est, ne quem in casum incidat, cavere: et si quod forte acciderit, fortiter ferre. Fortis nemo potest judicari, nisi et prudens fuerit. *Soc. in suis sent.*

24. Virtus sine sapientia temeritas periculosa putanda est. Quid prudentis opus est? eum posse et nolle nocere. Quid stulti proprium? non posse, et velle nocere. Quænam summa boni mens? quæ sibi conscia recti. *August.*

Vide etiam in tit. Consilium, núm. 6, 26, 29, 34. in tit. Liberalitas, núm. 11. in tit. Prælatio, núm. 23. in tit. Sapientia, núm. 23. in tit. Timor, núm. 30. in tit. Tribulatio, núm. 16.

PUSILLANIMITAS.

1. Segnissimi est torpere, cum se ad provectum cognoscat invitasse. *Cass. lib. 45. epist. 4.*

2. Dejectæ mentis est, qui familiaris rei meminil, quum vocatur ad regnum. Jacens animus plebeum numulum thesauris regalibus anteponit: pauper sensus, qui parvis incumbens, perdit magna, et inhians temporalibus perdit sempiterna. *Pet. Chrys.*

3. Contentus esto negotiis, in quæ descendisti: nec luctare cum officio, quod semel cepisti. Turpe est oneri cedere. *Seneca.*

4. Remissio, quæ os prælati obstruit, quæ mentem ejus dejicit, quæ adulatorem et venditorem olei facit, dum sibi quietem et honorificentiam venatur in favorem principum, hæc miseros præcipilat in foveam

scandalorum: hæc est remissio, per quam unus ædificat parietem, et alius linit: per quam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur: imo per hanc canes muti non valentes latrare per consensum uniformitatem, faciem et similitudinem peccatorum assumunt, sicut scriptum est: Usquequo iudicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis? *Pet. Chrys. in quad. epist.*

Vide etiam in tit. Correctio, núm. 18. in tit. Discretio, núm. 6, 15. in tit. Exemplum, núm. 8. in tit. Fortitudo, núm. 11, 12, 20. in tit. Ira, núm. 13. in tit. Labor, núm. 11. in tit. Loquacitas, núm. 7. in tit. Perseverantia, núm. 6. in tit. Prælatio, núm. 2. 9. in tit. Sollicitudo, núm. 15, 16.

QUERERE DEUM.

1. Quærite faciem ejus semper. Si semper quæritur, quando invenitur? An semper dixit in tota vita, quia hic vivitur? ex quo hic debere nos facere cognovimus, quando et inventus quærendus est. Jam Deum invenit fides, sed adhuc eum quærit spes, charitas autem et invenit eum per fidem, et eum quærit habere per spem: ubi tunc sic invenitur, ut ultra non quærat? Forte quum facie ad faciem eum videbimus sicuti est, adhuc perquirendus erit, et sine fine quærendus, quia sine fine amandus. *Aug. super Psalm. c. 4.*

2. Quæramus inveniendum, quæramus inventum: ut inveniendus quærat, occultus est, ut inventus quærat, immensus est. *Aug. super Joan.*

3. Si homo ita creatus est, ut per id quod in eo præcellit, attingat illud, quod cuncta præcellit, id est, unum, verum, optimum, sine quo nulla natura subsistit, nulla doctrina instruit, nullus usus expedit, ipse quærat, ubi nobis secreta sunt omnia: ipse cernatur, ubi nobis omnia certa sunt: ipse diligatur, ubi nobis reata sunt omnia. *August. de civ. Dei.*

4. Quid difficilius? quid solet dulcius inveniri? *Aug. super Psalm. c. 5.*

5. Quærite Dominum dum inveniri potest: modo non videtur Dominus, et prope est. In iudicio videbitur, et prope non erit, nec dum in iudicio apparuit, et si quærat invenitur, nam miro modo, quum in iudicio apparuerit, et videri potest, et inveniri non potest. *Gregor. lib. mo. 27. cap. 10.*

6. Nemo te Domine quætere valet, nisi qui prius invenerit. Vis ergo inveniri et quæreris, quæri ut inveniaris: potes quæri et inveniri, non tamen præveniri. *Bern. de dilig. Deo.*

7. Si nolumus frustra quætere Dominum, quæramus veraciter: quæramus frequenter: quæramus perseveranter, ut nec quæramus pro illo aliud, nec cum illo aliud, sed nec ab illo ad aliud convertamur. Facilius enim est cælum et terram transire, quam ut sic quærens non inveniat, sic petens non accipiat, et sic pulsanti non aperiatur. *Bern. in serm. 24.*

8. Si non vendideris omnia nec emes: et si animam non habueris sollicitam, et quærentem, non invenies. Duo enim oportet adesse, et à vitæ hujus negotiis abesse et vigilantem esse. *Chrys. super Matth. 15.*

9. Id quære, quod potes invenire: id discere, quod potes scire: id opta, quod optari bonis potest. *Senec. in quadam epist.*

Vide etiam in tit. Deus, núm. 24.

RAPINA.

1. Si in ignem mittitur, qui non dedit rem propriam, ubi putas mittendus erit, qui invasit alienam? Si cum diabolo ardet, qui nudum non vestivit, ubi putas arsurus est, qui expoliavit? Non nocent mala præterita, si non placent. *Aug. de verb. Dom. serm. 4.*

2. Si pœnale est clanculo auferre, multo majoris pœnæ est, violenter eripere. *Aug. serm. in 4. Do. cel.*

3. Remota justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia latrocinia quid sunt, nisi prava regna? hoc malum tantum crescit, ut et loca teneat, sedes constituat, civitates occupet, populos subjuget, et evi-

dentius regni nomen assumat. Quod ei jam in manifesto confert non dempta cupiditas, sed addita impunitas, ideo eleganter et veraciter Alexandro magno quidam Pirata comprehensus, respondit cum ab eo interrogaretur, quid tibi, ut mare haberet infestum: ille libera voce, quid tibi, inquit, ut orbem terrarum? sed ego, exiguo navigio facio, latro vocor: quia tu magna classe imperator. *Aug. 4. de civit. Dei. c. 4.*

4. Nostri quoque principes cum pauperes delinquentes publice arguant et confundant, divitiis peiora peccantibus, nec nutum faciunt, in quorum domibus sunt rapinae, dum Ecclesiae opes sibi thesaurizant, et in delictis abutuntur, quae ad sustentationem pauperum dantur: et sibi reservant, nec propinquis distribunt, et aliorum inopiam suas vel suorum faciunt divitias. *Aug. in glo. super Isai. 5. Atteri.*

5. Quid recipiet, qui aliena tulit, si semper ardebit qui sua non dedit? *Rab. super Matth. 46. Esurivi.*

6. Si sterilitas in ignem mittitur, rapacitas quid meretur? aut quid recipiet, qui alienum tulerit, si semper ardebit, qui de suo non dederit? Et si iudicium sine misericordia erit illi, qui non fecerit misericordiam, quale iudicium erit illi, qui fecerit et rapinam. *Falg. tract. ill. Matth. Omnis arbor, etc.*

8. Sicut ovis tondentem se non increpat, ita nec justus cupiditatem se expoliantis accusat. *Cass. super Psalm. 8.*

9. Pauperibus non dare tolisse est: et merito, quando quis potest esurientibus subvenire, si non pascit, extinguit. Pudeat illis tollere, quibus jubemur offerre. Ultra omnes crudelitates est, divitem velle fieri de exiguitate mendici. Amentur honesta lucra: horreantur damnosa compendia. Nullus audeat inde tollere, quod debet collectum dispergere: addendo perdit, qui retinendo colligit, et pauperlatem potius ad se trahit, si exigentium pecunias non repellit. *Cass. lib. 5. epist.*

10. Quis dicat utile, hominem incommodo alterius suum commodum augere, et alterum alteri aliquid

destruere? hoc est magis contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor: nam principio convictum hominum tollit. Si enim haec affectio nobis insit, ut quisque propter suum emolumentum spoliaret, aut violenter alterum, necesse est dirumpi societatem humani generis, quae est secundum naturam: ut si unumquodque membrum putaret se plus valere, si proximi membri ad se valetudinem traduxisset, debilitari et interficere totum corpus necesse esset: ita est et in humana societate: nam sicut concessum est, ut quisque malit sibi acquirere, quod ad usum vitae pertineat, quam alteri: et hoc natura non repugnant: ita non patitur natura, ut aliorum spoliis nostras facultates augeamus. Et si contra naturam magis detrudere alteri, sui commodi causa quam mors, quam dolor: ita magis secundum naturam, pro omnibus, si fieri posset, labores et molestias in maximis voluptatibus. *Tullius in sua Rhetor.*

11. Rapina est, ex avidae mentis impetu violenta alienarum rerum distractio. *Idem.*

12. Quaesitum erat a Socrate cur rideret: respondens ait. Video magnos latrones ducentes parvum latronem ad suspendium, qui digniores sunt suspendio. Sacrilegia, inquit, minuta puniuntur, sed magna in triumphis feruntur. *Val. Max. lib. 7.*

13. Nulli, cui rapina feliciter cessit, gaudium rapti duravit in posterum. *Sen. 57. epist.*

Vide etiam in tit. Crudelitas, num. 2. in tit. Ecclesia, num. 13. in tit. Eleemosyna, num. 6, 28. in tit. Jactantia, num. 4. in tit. Liberalitas, num. 7, 8. in tit. Restitutio, num. 1, 3. in tit. Timor, num. 20. in tit. Voluntas, num. 11.

RECONCILIATIO.

1. Si absens est, vade non pedibus corporis, sed animo humili te prosternas in conspectu ejus, cur oblaturus es: si praesens est, revocandus est ad amorem, ab eo veniam petendo, si eum laesisti: vel si te

leserit, dimittendo cordis rancorem. *Ambr. super Matth. 5. Vade prius reconciliari.*

2. Non quæritur quid vel quis fuerit, sed quid sit, præterita enim nec condemnant nec judicant. *Ambr. super epist. ad Gal.*

3. Sciendum, quod ille recte delicti sui veniam postulat, qui prius hoc, quod in ipso delinquitur, relaxat. Munus enim non accipitur, nisi ante discordia ab animo pellatur, dicente veritate: *Si offers munus tuum, etc.* Qua in te pensandum est, cum omnis culpa munere solvatur, quam gravis est culpa discordiæ, qua nec munus accipitur, nec proximus reconciliatur. Debemus itaque ad proximum quamvis longe positum longeque disjunctum mente ire, eique animum subijcere, humilitate ac benevolentia placare. *Greg. lib. 4. dialog.*

4. Si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare: si verbis, verbis, si factis, factis. Non enim quem factis læsisti, sine factis placaveris. Sine causa oras ad Deum, sine causa eleemosynas facis de rebus, quibus alios spoliasti. Qui enim prodest, si unus ad Deum pro te oral, et alius adversum te Deum interpellet? juxta illud Ecclesiast. 34. *Dona iniquorum non probat Altissimus. Chrys. super Matth. 5. Vade prius recons.*

5. Frustra propitiari sibi Deum quærit, qui cito placari in proximum negligit. *Isid. de summ. bono. lib. 5. c. 27.*

6. Si tantummodo non lædas eum qui te læsit, avertas te tamen ab eo, nec libenter enim videas: manet sine dubio vulnus in pectore, et dolor augetur in corde. Quod si est, nondum utique, quod Christus mandavit, expletur. Numquid tu ita vis propitium tibi fieri Deum? ut non te quidem lædat, avertat se tamen à te et peccatorum tuorum memoriam teneat, et videre te nolit? Igitur qualem vis erga te esse Deum, quum delictorum veniam poscis, talem te exhibere debes his, qui deliquerunt in te. *Chry. lib. de comp. cord. tract. illud Matth. 6. Et dimitt.*

7. Dissensio ab aliis, à te reconciliatio incipiat:

quum ignoscis ita beneficium tuum tempera, ut non ignoscere videaris, sed absolvere: quia gravissimum pœna genus est, contumeliosa venia. *Sen. in lib. de morib.*

Vide etiam in tit. Correctio, núm. 32. in tit. Eleemosyna, núm. 3. in tit. Odium, núm. 12. in tit. Venia, núm. 19.

REGIMEN, SIVE REGERE.

1. Recta domus, ubi vir imperat, fœmina obtemperat. Rectus ergo ille homo ubi spiritus imperat, caro servit. *Aug. super Joan.*

2. Pro omnibus tibi subjectis, qui in domo tua sunt, rationem Deo reddes. *Aug. in ep. ad quendam comitem.*

3. Omnia indigent Domino, et misera et felicia, quia sine illo miser non sublevatur, et felix non regitur. *Aug. super Psal. 32.*

4. Quicumque proprium corpus subegerit, nec ejus passionibus turbari animam suam rector sui congrua vivacitate permiserit, is bene regia quadam potestate se cohibens, rex dicitur: quod regere se noverit, et arbiter sui juris sit, ne captivus trabatur in culpam, nec præceps feratur in vitium. *Ambr. sup. Psalm. Anima mea in manibus meis.*

5. Omnis, qui dispensandis terrenis rebus præsidet, occulti hostis jaculis latius patet. *Gregor. in moral.*

6. Magnopere curandum est, ut qui regendis hominibus præfertur, apud se intra secretarium mentis in cathedra præsideat humilitatis: quumque judicanti ei à cæteris foris assistitur, vigilantia oculo incessanter adspiciat, cui quandoque judici ipse de his judicandus assistat, ut quanto nunc ante eum, quem non videt sollicitus trepidat, tanto eum, quum viderit, securior cernat. *Ibidem.*

7. Bene sancti viri, scripturæ sacræ testimonio reges vocantur: quia prælati cunctis motibus carnis,

modo luxuriæ appetitum infrenant, modo æstum avaritiæ temperant, modo gloriæ inclinant, modo suggestiones livoris obruunt, modo ignem furoris extinguunt: reges ergo sunt, qui tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt. *Gregor. lib. moral.*

8. Sæpe suscepta cura regiminis cor per diversa diverberat, et impar quisque invenitur ad singula, dum confusa mente dividitur ad multa. *Gregor. in pastoral.*

9. Re vera mihi videtur esse ars artium, et disciplina disciplinarum, hominem regere, qui certe est inter omnes animantes maxime et moribus varius, et voluntate diversus. *Greg. Naz. in apolog.*

10. Sæpe à disciplinæ metu resolvimus subditos: si nostro regimini hilaritatis fræna relaxamus: quia dum nos quasi licenter lætos aspiciunt, audacius ipsi ad illicita resolvuntur. *Gregor. in moral.*

11. Summus locus bene regitur, quum is, qui præest, vitis potius quam fratribus dominatur. *Greg. 3. moral.*

12. Caput quippe subjectorum sunt cuncti, qui præsent, et ut recta pedes valeant itinera carpere, hic proculdubio caput ex alto providet, ne à profectus sui itinere pes torqueat, quum curvata corporis recitudine caput sese ad terram declinat. *Gregor. in pastoral.*

13. Quemadmodum certantibus ventis mare concutitur, sic regibus sibi adversantibus populus regni vexatur. *Chrys. super ill. Matth. Herodes. etc.*

14. Quemadmodum videns arborem foliis pallentibus marcidam, intelligis quod aliquam culpam habeat circa radicem: ita quum videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce, quod sacerdotium ejus non est sanum. *Chrys. in tract. de symbolo.*

15. Tunc totum Reipublicæ corpus roboris sui integritate vigeat, tunc optimæ compositionis specie venustabitur, et elegantis pulchritudinis decorem induet si singula quæque locum teneant sortita decenter, si

fuert officiorum non confusio, sed distributio. *Chrys. in polyerat. lib. 1.*

16. Principatus non sanguini debetur, sed meritis, et inutiliter regnat, qui rex nascitur et non meretur. *Ibidem. lib. 4.*

17. Nulla gens est ita sollicita circa regem suum sicut apes, unde regi incolumi omnibus mens una est: amisso rumpere fidem, constructaque mellia destruere: et quando nequit volare fert ipsum turba apum, meliorem pugna querunt, et si moritur, moriuntur et ipsæ. *Ibidem. lib. 7.*

18. Tunc civitates bene ordinatæ, tunc sanctæ Ecclesiæ res recte aguntur, quum et fortiores viribus, necessariis insistent operibus et seniores majori prudentia præditi, de iis quæ agenda sunt, salubriter consulunt. *Rab. in glo. super illud Prov. 20. Exaltatio juvenum. etc.*

19. Qui præsent populis, si volunt firmum esse solum, semper hilaritate et gratia vultus plenos exhibeant, ne per arrogantiam rigidi plebis oçium incurant. *Ibid. in glo. super illud Prov. 22.*

20. Reges à recte agendo vocati sunt ideoque recte faciendo, regis nomen tenetur, peccando amittitur. Recte ergo illi reges vocantur, qui tam semetipsos, quam subjectos bene regendo modificare noverunt. *Isid. lib. 9. c. 3. et lib. c. 48. de sum. bon.*

21. Sæpe per regnum terrenum cæleste regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi, contra fidem et disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore principum conterantur. *Isid. lib. 3. de sum. bon. c. 33.*

22. Non caret regia potestate, qui corpori suo noverit rationabiliter imperare. Vere dominator est terræ, qui carnem suam regit legibus disciplinæ, nec potest fieri, ut non grandi pondere ruinæ super hominem voluntas propria cadat, si voluntati sui superioris extollendo eam præponat. *Prosp. in suis sent.*

23. Publici decoris mater, est mens regentis et quale fuerit dominantis arbitrium, talem parit liberalis adspæctum. Facilius est quippe, si dicere fas est,

errare naturam, quam dissimilem princeps possit formare Rempublicam. Is enim potest alios regere, qui se studeat sub decore tractare. *Cass. lib. 5. epist.*

24. Tuta est conditio subjectorum, ubi vivitur sub æquitate regnantium: principis autem opinionem longe lateque disseminat subjectorum custodiata securitas. *Ibid.*

25. Qui Reipubl. statum, et generale cupit stare fastigium, ad universa debet esse sollicitus: quia non est salus in corpore, nisi quam et membra potuerunt obtinere. *Cass. lib. 5. epist.*

26. Communis provincialium sermo est, annum bonum non tam de magnis fructibus, quam de juste regnantibus existimandum. *Boët. lib. 1. de consol.*

27. Sententia Platonis est: Beatas fore Respublicas, si eas vel studiosi sapientiæ regerent, vel earum rectores studere sapientiæ contigisset. *Ibidem.*

28. Inter homines antiquorum optimus animorumque rector eligebatur: ideoque summa felicitas erat gentium, in quibus non poterat esse potentior, nisi melior. *Sen. 5. epist. extrema partis.*

29. Quomodo aut cui tandem hic libere imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? Refrænet primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat avaritiam: cæteras animi labes repellat: tunc incipiat aliis imperare, quum ipse improbissimis dominis dedecori ac turpitudini parère desierit, dum quidem his obediet, liber habendus omnino non erit. *Sen. lib. 10. rhet. sua.*

30. Inexpugnabile munimentum, amor civium. Quid pulchrius est, quam vivere optantibus cunctis? Quis huic audeat struere aliquod periculum sub quo iustitia, pax, securitas, dignitas florent? sub quo opulenta civitas copia bonorum omnium abundat? *Sen. de clement. ad Neronem.*

31. Ut in corporibus, sic in imperio gravissimus est morbus, qui a capite diffunditur. *Senec. in quad. epist.*

32. Si vis omnia tibi subjicere, te subijce rationi. Multos reges, si te ratio rexerit, ab illa disces, quid et quemadmodum aggredi debeas. *Ibidem.*

33. Gentes barbaras impatientesque alieni arbitrii facilius est regere, quam animum suum continere, et sibi tradere. *Ibidem.*

34. Simul ista mundi rector, Deus posuit, odium atque regnum, qui ergo odia nimium timet regnare nescit. *Ibidem.*

35. Sicut hominibus reges, ita regibus dominandi desideria dominantur: hoc est, regnum, nolle regnare cum possis: Vis ergo regnum tibi dari magnum? rege te ipsum. *Ibidem.*

36. Illud regnum in gradu æterno facile steterit, ubi minimum virium veneris pecuniæque cupido sibi vendicaverit. *Socrates in suis exhortatio.*

37. Qui multarum habet potestatem rerum, primum purgare conscientiam debet, ut quæ delicta corrigit, non admittat, vitelque quod vindicat. Stultum enim est, ut velit quis aliis imperare, cum sibi ipsi imperare non possit. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Caro, núm. 14. in tit. Cor, núm. 13. in tit. Correctio, núm. 21. in tit. Electio, núm. 3, 21. in tit. Fama, núm. 7. in tit. Honor, núm. 3. in tit. Ira, núm. 37. in tit. Justitia, núm. 24. in tit. Odium, núm. 18. in tit. Pax, núm. 6, 26, 27. in tit. Pænitentia, núm. 15. in tit. Perfectio, núm. 12, 15. in tit. Philosophus, núm. 8. in tit. Potestas, núm. 7, 8, 9. in tit. Prælatio, núm. 18, 19, 20, 21, 38. in tit. Rapina, núm. 34. in tit. Sapientia, núm. 10. in tit. Servitium, núm. 1.

RELIGIO.

1. Non propterea in Christiana militia ad pietatem divites humiliantur, ut pauperes ad superbiam extollantur, nullo enim modo decet, ut in ea vita ubi senatores fiunt laboriosi, ibi fiant opifices otiosi, et quomodo veniunt relictis deliciis suis, qui fuerunt prædiorum domini, ibi sint rustici delicati. *Aug. de opere monach.*

2. Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis

omnia communia, et distribuatur unicuique vestrum à proposito vestro victus et tegumentum, non aequaliter omnibus, quia non aequaliter valetis omnes, sed potius unicuique, sicut cuique opus fuerit: sicut legitur in Actibus Apostolorum, quia erant eis omnia communia, et distribuebatur singulis, prout cuique opus erat. Qui aliquid habebant in seculo, quando ingressi sunt monasterium, libenter voluerunt illud esse commune, qui autem non habebant, non ea quaerant in monasterio, quæ nec foris habere poterant: sed tamen eorum infirmitati, quod opus est, tribuatur, etiamsi pauperes eorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat invenire: tamen non ideo putent se felices esse, quia invenerunt victum et tegumentum, quale foris invenire non potuerunt: nec erigant cervicem, quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant, sed sursum cor habeant, et terrena bona non quaerant, ne incipiant esse monasteria divitiibus utilia, non pauperibus, si divites illic humiliantur, et pauperes illic insulantur. *Ibid. in regula tertia.*

3. Sed rursus etiam illi, qui aliquid videbantur in seculo esse, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt: magis autem studeant, non de parentum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari: nec extollantur, si communi vitæ de suis facultatibus contulerint aliquid, nec de suis divitiis magis superbiant, quia eas monasterio parliuntur: quam si eis in seculo fruerentur: alia quippe quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant: superbia vero in bonis operibus insidiatur, ut pereant. Et prodest dispergendo dare pauperibus, et pauperem fieri, si anima misera superbior efficitur divitiis contemnendo, quam fuerat possidendo? *Ibidem.*

4. Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse, nec injustum videri eis, quos fecit aliqua consuetudo fortiores: nec illos feliciores esse putent, quia sumunt, quod non sumunt ipsi, sed sibi potius gra-

tulentur: quia valent, quod non valent illi. *Ibidem.*

5. Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ: homo sum, et inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit, quam arca Noë, ubi tantum inter octo homines unus reprobus inventus est: aut melior sit quam domus Abrahamæ, cui dictum est: Ejice ancillam et filium ejus: aut melior sit, quam domus Isaac: cui de duobus geminis dictum est in Malachia: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Simpliciter autem fateor charitati vestræ coram nostro Domino Deo, qui est testis mihi super animam meam, ex quo Deo servire cœpi, quoniam sicut difficile sum expertus non esse meliores, quam qui in mundo profecerunt, ita non sum deteriores expertus, quam qui in mundo defecerunt: hinc arbitror dictum in Apocalypsi: *Justus justificetur adhuc: et qui in sordibus est, sordescat adhuc. August. in epist.*

6. Amputetis occasionem turpium nundinarum, quibus existimatio vestra læditur, et infirmis offendiculum ponitur, et ostendite hominibus, non vos in otio facilem victum, sed per angustam et arctam viam regnum Dei quaerere. *Aug. in lib. de opere monach.*

7. Latro est, et domum Dei convertit in speluncam latronum, qui luera de religione sectatur, cultusque ejus, non tam cultus Dei, quam negotiationis occasio est. *Hier. super Matth. lib. 4.*

8. Pudet dicere, de cavernis cellularum urbem damnamus in sacco et cinere, veluti de ipsis sententiam ferimus. Quid facit sub tunica poenitentis regius animus, qui alios vult regere, et alios judicare: et à nemine regi, à nemine judicari? *Hier. in epist. ad Marc.*

9. Sunt ditiores monachi, quam fuerant seculares: possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerant, et sustinet eos Ecclesia divites, quos tenuit mundus ante mendicans. Nepotianus noster aurum calcans, schedulas consecratur. *Hier. in epist. ad Heliod. Monach.*

10. Egyptiorum monasteria hunc tenent morem, ut nullum absque opere aut labore suscipiant: non

tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salvationem. *Hier. in epist. ad Rustic. monach.*

11. Numum addunt numo et marsupium suffocantes, matronarum opes venantur obsequiis. Modica esca in hamo ponitur, ut matronarum in eo sacculi protrahantur: sic bestię, sic aves, sic capiuntur et pisces, parum tribuunt, ut amplius accipiant, quæ magis venatio est appellanda, quam donatio. *Ibidem.*

12. Sæpe de vita proximorum querimus, mutare locum, conamur secretum vitæ remotioris eligere, videlicet ignorantes, quia si desit spiritus, non adjuvat locus. Iste enim Loth, de quo loquimur, in Sodomis sanctus extitit: in monte peccavit. Quod autem loca mentem non muniunt, ipse humani generis primus testatur parens, qui et in paradyso cecidit. Sed minus sunt omnia, quæ loquimur ex terra: nam si locus salvare potuisset, Satan de cœlo non caderet. *Greg. super Ezecl. ho. 9.*

13. Quia terreni principes magna se Deo humilitate substernunt, pravi homines ideo ad fraudis argumenta vertuntur, quia illos religionem reverenti conspiciunt, ipsi cultum religionis assumunt: et honorum vitam sub despectis vestibus, iniquis operibus premunt: mundi quippe dilectores sunt, qui hoc in se, quod homines venerantur, ostendunt: atque eis, qui vere se despiciunt, non mente, sed veste copulantur: quia præsentem gloriam amantes, assequi non possunt, quam despicientes sequuntur: honores enim fugiunt, ut honoribus obviant. *Grego. in moral.*

14. Multi de inchoata justitia laudari appetunt: præesse cæteris melioribus concupiscunt, quos plerumque dum juxta votum præsens prosperitas sequitur, multo plus: quam prius fuerant, de sanctitatis habitu peiores fiunt. *Ibidem.*

15. Cuncta sollicite fugiens portum monasterii petiit, et relictis quæ mundi sunt, ut frustra tunc credidi, ac ex hujus vitæ naufragio nudus evasi: quia enim plerumque navem incaute religatam etiam de sinu tui littoris unda exculit, quum tempestas excrescit: re-

pente me sub prætextu ecclesiastici ordinis in causerum secularium pelago reperi, et quietem monasterii quam habendo fortiter tenui: quam stricte tenenda fuerit perdendo cognovi. *Greg. in prolo. mon.*

16. Eo quoque tempore, quo ad ministerium altaris accessi: hoc demum ignorante me actum est, ut sacri ordinis pondus acciperem, quatenus in terreno palatio licentius excubarem. *Ibidem.*

17. De religiosis, et bene ordinatis monasteriis nullus professorum meo consilio, nec arctiori quidem desiderio sine licentia sui senioris egreditur, egressus tamen, si melius invenerit et elegerit, meo nihilominus jam consilio non regreditur ad inferius bonum, quod reliquerat, et contempserat pro meliori. *Bern. de pæn. et dispen.*

18. Attende diligenter quid diligas, quid metuas, non gaudeas vel contristeris, et sub habitu religionis animum secularem, et sub pannis conversionis invenies cor perversum. *Bern. in serm. 36.*

19. Video quiddam, quod sine dolore videri non debet: post aggressam Christi militiam rursus implicari secularibus, rursus terrenis cupiditatibus immergi: cum magna cura erigere muros, et negligere mores: sub prætextu quoque communis utilitatis verba vendere divitibus, et matronis salutationes, sed et contra sui imperatoris edictum concupiscere aliena, et sua cum lite repetere: ita nec se mundo, nec sibi mundum crucifixerunt: ut qui ante vix in suo vico vel oppido cogniti fuerunt, modo circum-euntes provincias, et curias frequentantes regum notitias, principum familiaritates assecuti sunt. *Bern. ho. 4. super missus est.*

20. Video, quod non parum doleo, post spretam seculi pompam nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, ac sub alis mitis humilisque magistri gravius insolescere, et impatientes amplius fieri in claustris, quam fuissent in seculo. *Ibidem.*

21. Plerique in domo Dei non patiuntur in contemptu haberi, qui in sua domo non nisi contemp-

tibiles esse poterant: ut quia videlicet ubi à pluribus honores appetuntur, ibi locum habere non meruerant, saltem ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores contemnuntur. *Ibidem.*

22. Inhumane redarguis opera eorum, quorum refugis onera: temerarie objurgat virum revertentem de prælio mulier nens in domo, dico enim si is, qui de claustro est, eum qui versatur in populo, interdum minus discrete, minusve circumspecte sese agere deprehenderit: v. g. in verbo, in cibo, in risu, in ira, in iudicio, non ad iudicandum confestim prosiliat, sed meminerit scriptum: Melior est iniquitas viri quam mulier benefaciens. Nam tu, qui in tui custodia vigilas, bene facis: sed qui iuvat multos, melius facit et virilius: quod si implere non sufficit absque aliqua inæqualitate vitæ conversationis suæ, memento quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hæc dicta sunt contra geminam tentationem: quæ sæpe viri religiosi Episcoporum vel ambire gloriam, vel excessus temere iudicare, diabolicis instigationibus incitantur. *Bern. super cant. serm. 12.*

23. Tu qui in congregatione es, bene vive ordinabiliter tibi sociabiliter et humiliter: ordinabiliter tibi, sociabiliter proximo, humiliter Deo. *Bernar. in quod. serm.*

24. Qui secundum regulam vivere statuunt: et si non ad unquam, ut dicitur, totam custodiunt, et si qua pro sui claustrii ritu vel mutant vel prætermittunt, à regulari tamen professione non discedunt, dum tamen sobrie et iuste et pie pro moribus vivere non desistunt. *Bern. de pæn. et dispen.*

25. Claustralis paradysus ad suavem spirans austri clementiam, quasi tot floribus vernat, quot virtutibus abundat. Dum enim diabolus officinas fratrum circumcivit: debet eum fugare ab oratorio devotio, à refectorio lectio, à dormitorio stramenta vitia, à capitulo patientia. *Bern. in quadam epist.*

26. Non vultis esse contenti communis vitæ, non sufficit vobis regulare jejuniū: non solemnes vigiliæ,

non imposita disciplina, non mensura, quam vobis partimur in vestimentis vel alimentis: privata præferitis communibus, qui vestri curam semel vobis credidistis, quid rursus de vobis intromittitis? Nam illam, qua toties Deum conscientis vestris testibus offendistis propriam, scilicet voluntatem vestram, ecce nonne iterum magistram habetis non me? illa vos docet naturæ non parcere: rationi non acquiescere: seniorum consilio vel exemplo non obtemperare, nobis non obedire: an ignoratis quia melior est obedientia, quam victimæ? Non legis in regula vestra, quod quidquid fit sine voluntate vel consensu spiritualis patris, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi. *Bern. super cant. serm. 19.*

27. Si quid religionis oritur, quicumque resistit, quicumque repugnat, plane cum Ægyptiis parvulus Israelitici germinis necare conatur: imo cum Herode nascentem persequitur Salvatorem. *Bern. in quod. serm.*

28. Felix domus, et beata semper congregatio, ubi de Maria Martha conqueritur: nam Mariam Marthe æmulari indignum prorsus est. *Bern. in quad. epist.*

29. Abundans est pauperi religio, mediocri sufficiens, tolerabilis diviti, infirmis larga, delicatis compatiens, fortioribus moderata, pœnitentibus misericors, perveris severa, bonis optima: hæc sunt beneficia religionis. *Hugo. de claustro animæ. lib. 1.*

30. Quatuor sunt in habitu religionis notabilia: scilicet utilitas et superfluitas, paucitas et pretiositas: in utilitate vana gloria et simulatio, in paucitate intolerantiæ sine desperatio, in pretiositate superbia, aut delectatio, in superfluitate vero amor seculi, non amor cœli, amor palatii, non paradysi notatur. *Ibid.*

31. Habet enim lex claustralium iudices, et testes atque consiliarios suos: In lege etenim domini duo testes sunt: vita et conscientia, duo iudices, meditatio et scientia, duo consilarii, amor Dei et proximi. Bonus testis, bona vita, bonus iudex, bona conscientia: coram Deo testis est conscientia, coram homini-

bus vita. *Hug. lib. de claustr. animæ. de 12. abusionib.*

32. Qualis debet esse religionis habitus ostendit Apostolus, *non in veste pretiosa, etc.* sed hodie cappa canonici, et cuculla monachi non differunt à pallio militis. Sed, ut ait quidam sapiens miles et monachus ex eodem panno partiuntur: ille sibi cucullam, ille chlamydem: non multum differunt habitus canonici regularis et secularis. Sed si forte regularem videas, archidiaconum vel episcopum te vidisse contendas. *Ibidem.*

33. Quam detestanda perversitas in monasterio, et ubi fiunt divites laboriosi, sint pauperes delicati, qui in seculo pauperiores vixerant, quam nunc in claustris vivant: et nunc in monasterio quærent, quæ foris habere non poterant. Mentior ego, si non vidi, quorum talis paupertas erat, quando foris erant, quod nec ipsa necessaria invenire poterant, erigentes sibi mentem noluerunt sociari his, ad quos foris accedere non audebant, et qui ante conversionem lectulum proprium nusquam habebant, nunc si forte voluntas eis fuerit eundi alicubi, ornamenta lectuli secum portant. Vidi et ego ni fallor, monachum camisia vestitum jocantem et dicentem: et charior est stammina, quam camisia, tunica vero vestiri magna est difficultas. Sed forsitan dices: quoniam infirmus erat huiusmodi: imo sanus et petulans, et pingui residens equo, abundans rebus et curias frequentans: qui tamen ante conversionis habitum, pedes ire consueverat, nec sæpe lineis induebatur. *Ibidem.*

34. Norunt multi quod saturitatem ventris sequitur levitas operis, et vanitas mentis. Scriptum est enim, *Sedit populus manducare, et bibere, et surrexit ludere: ludere, inquit, non legere.* Sunt qui post delicati cibi fercula, cum in claustris sedeant, non lectioni et silentio, sed rumoribus et curiositati vacant: qui locum loquendi et tacendi nusquam et nunquam servant, sed instabiles et oliosi nunc hos, nunc illos ad loquendum vocant. *Pone inquit ori meo custodiam, et ostium cir-*

constantia labiis meis: ostium dixit, non murum. Si enim murus poneretur, loquendi licentia omnino negari videretur, sed ostium ponitur, quod tempore et loco clauditur et aperitur. Est tempus et locus tacendi, et loquendi. Aperitur itaque ostium hora constituta, scilicet in claustris lectioni, in capitulo confessioni, in ecclesia orationi. Item clauditur ostium in claustris confabulationi, in capitulo contentioni, in ecclesia vanæ modulationi. *Ibidem.*

35. Gaudent multi claustralium, quum de regibus fabulantur, dum casus militum narrant, dum pro illis loquuntur, à quibus non agnoscuntur, multorum partes defendunt, pro multis irascuntur, pro multis litigant, ignorant tamen quod negant, aut quod affirmant. *Ibidem.*

36. An nescis diabolus expulsus à capitulo cœli, Adam à capitulo paradysi, Judam à capitulo Christi? Primum capitulum fuit in cœlo, secundum in paradyso, tertium in horto: in unoquoque lamen præerat Deus. In primo culpa superbiæ, in secundo inobedientiæ, in tertio avaritiæ. De primo dicitur, *Ponam sedem meam ad Aquilonem, et ero similis altissimo.* De secundo dicitur, *De ligno scientiæ boni et mali ne comedatis.* De tertio dicitur: *Et retulit triginta argenteos, et projecit in templo: pœna primæ culpæ casus, secundæ labor, tertiæ laqueus: de prima dicitur: Vidi Satan tanquam fulgur de cœlo descendentem.* De secunda: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* De tertia: *Laqueo se suspendit.* His tribus tres claustralium ordines assimilantur. Hi scilicet primi: quoniam sedem prælationis quærent, et præesse non possunt: alii qui nec obedire volunt: tertii familiares magistris loculos portantes, et in occulto detrahentes. *Ibidem.*

37. Sunt enim quidam, qui mente vagi, oculis attoniti, habitu dissoluti, plana parietum prospicientes perlustrant aliud cantant, et aliud cogitant: in choro sunt corpore, et in foro mente: nunc intus, nunc foris exeunt, psalmodiæ verba proferunt, sed psalmodiæ sensum non intelligunt. Sunt alii voce dissoluti, qui vocis modulatione gloriuntur: non tantum gaudent

de dono gratiæ, sed etiam alios spernunt. Tumentes elatione aliud cantant, quam libri habeant: et quanta est levitas vocis, tanta forsitan est et mentis, cantant forsitan, ut placeant populo, magis quam Deo: Si sic cantas, ut ab aliis laudem quæras, vocem tuam vendis, et facis eam non tuam, sed suam. *Ibidem.*

38. Ego autem quomodo accedam, qui porto plumam struthionis in habitu religionis, ut non placeam moribus, sed vestibus. Quasi enim struthio volatum simulo: sed tantum pedibus terram tango volito habitu, sed tango affectu. Unde et veritas dicit: *Hi sunt, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intus sunt lupi rapaces.* Exterius enim contegor ovis velere, intus autem sævio cupiditate. *Ibidem.*

39. Superstitio dicitur veræ religioni superaddita falsa religio. *Hugo.*

40. Sunt quidam qui velut conversi ex pristinis moribus nihil abjiciunt: non mente mutantur, sed veste: non actu sed habitu. Hi sunt qui sermone tantum, non opere seculo renuntiassent contenti seculariter vivunt: et vitia sua inani professione vitæ melioris abscondunt: ac religionis imaginariæ nomine palliati, opinionem virtutis pro virtute suscipiunt: prædicant magna, nec faciunt, accusant vitia, nec deponunt publice sibi displicere simulant, quod occulte committunt: magni student videri, non fieri. *Prosp. de vita cont. l. 4.*

41. Laudant eos, quorum cupiunt prædicatione laudari, jejunant, ut vultus sui pallorem perniciosis laudibus vendant. Ad reprehendendum alios prompti, sed non paliuntur à quibuslibet vel leviter reprehendi. Ad faciem publicam patientiam lingunt, et in animo iracundiæ virus abscondunt: ad nocendum parati, quum nocendi tempus invenerint: suorum actuum negligentes fiunt, aliorum procaci libertate censors. Imprudenter adsunt virginibus sacris et viduis quibus conglutinantur affectu, ut facilius ab Ecclesiâ (quod dictu quoque nefas est) quam ab earum communione discedant: qui etsi cum illis forte non peccant, tamen malæ suspicionis de se præbendo materiam, vi-

lam maculis sinistrae opinionis infamant. *Ibidem.*

42. Religionis affectus non solum devotione corporis, sed magis arcano geritur cordis. *Cass. super Psalm. 45.*

43. Hæc tria studia otiosorum sunt in claustro vagatio oculorum, superfluitas verborum, perversitas cogitationum. Hæc tria vitia eiciunt fratrem de claustro. *Cass. super Psalm. egrediebatur, foras et loqueb. etc.*

44. Ad professionem nostram pertinet, subiectione et abiectione gaudere, pauperlati studium quærare, et non solum facultates, sed etiam ipsas voluntates de cordibus eradicare. Nihil enim habere interdum, res necessitatis est, nihil autem cupere, virtutis. *Cæsarius in admonit. 25.*

45. Videre vocationem vestram fratres charissimi, venire ad eremum, summa perfectio est, non perfecte in eremo vivere, summa damnatio est. Quid prodest si in loco quies teneatur, et inquietudo in corde servetur? Si in habitatione sit silentium, et in habitatoribus, vitiorum sit tumultus, et coluctatio passionum? Si exteriora vestra serenitas teneat, et interiora tempestas. *Cæsarius in admonit. 28.*

46. Verus religiosus debet esse neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abiectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, dives in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia. *Euseb. in quodam serm.*

47. Juxta sententiam cordis mei: Si paradisi in hac vita præsentis est, vel in claustro, vel in scholis est. Quidquid enim extra hæc duo est plenum, est anxietate, inquietudine, amaritudine, formidine, sollicitudine et dolore. *Petr. Chrys. in quodam serm.*

48. Spes fructuum relevat agricolam à labore, fortemque pugilem contemnere facit molestias ictuum spes coronæ, tibi quoque furetur gravamina claustrum, et gratæ servitutis officium expectatio jubilei. Nudus athleta fortius dimicat, natator exiit, ut fluvium transeat? viator exoneratur à sarcinis, ut expeditus curral. *Ibidem.*

49. Religio est, per quam reverenti famulatu ceremoniæ divini cultus exercentur. *Tullius de natura deorum.*

50. * Cum in amicitia, quæ honesta non sunt, postulantur, religio et fides anteponantur amicitia. *Ibid.* 5. *off.*

51. * Omnes religione moventur, et deos patrios quos à majoribus acceperunt, colendos sibi diligenter et retinendos arbitrantur. *Ibid.* 6. *Actione in Verrem.*

52. * Religiones pie magis, quam magnifice coli debent. *Livius 1. Dec. lib. 2.*

Vide etiam in tit. Abusio et Communitas, núm. 2. in tit. Contemplatio, núm. 4, 13. in tit. Devotio, núm. 13. in tit. Fraternalitas et Jactantia, núm. 1. in tit. Hippocrisis, núm. 5, 6, 7. in tit. Mandatum, núm. 11. in tit. Monachus, Murmur, Obedientia et Ordo, núm. 4. in tit. Paupertas et Pax, núm. 20. in tit. Pœnitentia, núm. 1. 4. in tit. Perfeccio, núm. 5. in tit. Pietas, núm. 5. in tit. Relinquere et Sacerdos, núm. 1, 5. in tit. Sanctitas, núm. 6. in tit. Solitudo et Superbia, núm. 5. in tit. Tentatio, núm. 36. in tit. Voluntas, núm. 1, 2.

RELINQUERE.

1. Utilius terrena opulencia tenetur humiliter, quam superbe relinquatur. *August. ad Pau.*

2. Quid prodest dispergendo dare pauperibus, et pauperem fieri, quum anima misera superbior efficitur divitias contemnendo, quam fuerat possidendo? *August. de vita cle.*

3. Qui cœlestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admiserit, perfecte cognoverit, ea quæ in terris amaverat, cuncta derelinquit. In comparatione illius vilescunt omnia, deserit habita congregata dispergit, inardescit in cœlestibus animus, nihil de terrenis libet deforme conspiciat quidquid de terrenæ rei placebat specie: quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente. *Greg. in ho.*

4. Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari, nisi forte ut Eliseus boves suos occidit, et pavit pauperes ex eo quod habuit, ut nulla cura teneretur domestica. *Ambr. lib. 2. de offic.*

5. *Ecce, nos reliquimus omnia, etc.* Grandis fiducia Petrus piscator erat, dives non fuerat, cibis maru et arte quærebat, et tamen loquitur confidenter, *Relinquimus omnia*: omnia enim reliquit, qui voluntatem habendi deseruit. *Hier. super Matth.*

6. Apostoli quantum ad divitias nihil: quantum ad voluntatem, totum mandum reliquerunt. *Ibidem.*

7. Licet in collo tuo parvulus dependeat nepos, licet sparso crine et scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater jaceat, percalcato perge patre et siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est, in hac re te esse crudelem. *Hieron. in quadam epist.*

8. Apostolici fastigii perfectæque virtutis est, omnia simul vendere, et pauperibus erogare, et sic expeditum, cum Christo ad cœlestia volare. *Hier. in epist.*

9. Festina quæso te, et habens in solo pedem, naviculæ funem magis præcide quam solve. *Ibidem.*

10. Facilis sacculus contemnitur, quam voluntas. Multi divitias relinquentes Dominum non sequuntur. Sequitur autem Dominum, qui imitator ejus est, et per vestigia illius graditur. *Hier. super ill. Matth. Si vis perfectus esse vade, etc.*

11. Gladium tenet hostis, ut perimat me, et ego de matris lachrymis cogitabo? *Hier. in epist. ad Heliod.*

12. Crates Thebanus, homo quidem ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit, nec putavit se simul posse virtutes et divitias possidere: Abite, inquit, malæ cupiditates: ego vos mergam, ne submergar à vobis: philosophus gloriæ animalis, et popularis auræ vile mancipium totam simul sarcinam deposuit. *Ibidem.*

13. Quasi quodam jugo servitutis premunt prospera dum appetuntur, premunt adversa, dum formidantur. At si quis semel dominationem desideriorum tempo-

ralium á collo mentis excusserit, quadam jam etiam in hac vita libertate perfruitur, dum nullo desiderio felicitatis afficitur, nullo adversitatis terrore coarctatur. *Gregor. in moral.*

14. Multum enim relinquit, qui sibi nihil retinuit, multum relinquit, qui quantumlibet parum totum deseruit. Certe nos et habita ex amore possidemus, et ea, quæ non habemus, ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus et Andreas dimisserunt, quando uterque etiam desideria habendi dereliquit: multum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis renuntiavit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta á non sequentibus concupisci potuerunt. *Greg. in hom. 5.*

15. Multa, fratres, relinquitis, si terrenis desideriis renuntialis: exteriora enim nostra, quamvis parva, Domino sufficiunt: cor namque et non substantiam pensat: nec perpendit, quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur. *Ibidem.*

16. Quisquis divini stimulo amoris excitatus hæc possessa reliquerit, illic proculdubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit: ut simul judex tunc cum judice veniat, qui nunc consideratione judicii sese spontanea paupertate castigat. *Greg. in ho. super illud. Vos qui reliquistis, etc.*

17. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, etc.* Ad se venientibus Dominus præcipit, ut renuntiemus nostris: quia qui ad fidei agonem venimus, luclamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo possident proprium: nudi ergo cum nudo luclari debemus. Nam si vestitus quisque cum nudo luclatur, citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi corporis indumenta? Qui ergo contra Diabolum ad certamen properat, vestimenta abjiciat, ne succumbat. *Gregor. in 32.*

18. Si vultis, omnia retinendo relinquitis, ut cum tota mente ad æterna tendatis. Si enim nihil in hoc mundo amando possidetis, etiam possidendo cuncta relinquitis. *Gregor. in hom.*

19. Illi, qui ex possessis rebus subsidia agentibus ministrant, in bonis, quæ faciunt, sacrificium offerunt: quia aliquid Deo immolant, et aliquid sibi reservant. Qui vero nihil sibi reservant, offerunt holocaustum, quod majus est sacrificio. *Greg. super Ezech.*

20. *Ecce nos reliquimus omnia, etc.* Bene Petre, et non ad insipientiam tibi, nimirum quia exullavit, ut gigas, ad currendam viam, nec currentem sequi poterat oneratus. Non inutilis commutatio, pro eo qui super omnia est, omnia reliquisse. *Bern. in colloqui serm. ad Petr.*

21. Omnia sane dixerim, non tantum possessiones, sed etiam cupiditates. Plus enim mundi concupiscentia, quam substantia nocet, et hæc fugiendarum causa divitiarum præcipua est, quod aut vix, aut nunquam sine amore valent possideri. Facile enim cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret. *Ibidem.*

22. Age ergo, qui relinquere disponis omnia, te quoque inter relinquenda numerare memento: imo vere maxime et principaliter abnega temetipsum, si desideras sequi eum, qui se exinanivit propter temetipsum. *Ibidem.*

23. Zachæus, cujus laus est in Evangelio, dimidium honorum suorum dedit pauperibus: sed ego multos Zachæos hinc video, qui nihil sibi ex omnibus reliquere. Quis mihi scribet hoc Evangelium de Zachæis istis, imo de Petris istis, qui fiducialiter loquuntur Domino: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te?* sed scriptum est jam in Evangelio æterno, in libro vitæ est scriptum, et signalum. *Bern. in ser. c. 5.*

24. Si itaque quis renuntiat omnibus, quæ possidet, et suis non renuntiat moribus, non est Christi discipulus: qui enim renuntiat rebus suis, sua abnegat: qui vero renuntiat suis moribus, seipsum videlicet abnegat. *Isid. lib. 5. de sum. bon.*

25. Nihil proderit pecunias non habere, si voluntas fuerit in nobis possidendi. Miserabile autem est paupertatis ac nuditalis æstus tolerasse: fructus vero earum prævæ voluntatis vitio perdidisse. *Joan. Cass. de institutione monach. lib. 7. c. 21. et 22.*